

Achenwall  
observationes juris naturalis

1 - 4

1754









GOTTFRIEDI ACHENWALLI  
PROF. PHIL, ORD. ET IVR. EXTRAORD.  
IN ACAD. GEORGIA AVGVSTA  
OBSERVATIONES  
IVRIS NATVRALIS

---

SPECIMEN II.  
DE  
OBLIGATIONE ET IMPVTATIONE.



---

GOTTINGAE  
SVMT. VICT. BOSSIEGEL. MDCCLIV.






GOTTFRIEDI-ADAMWALLI  
OBSERVATIONES  
IVRIS NATURALIS

STECIMEN II  
OBLIGATIONE ET IMPVTATIONE



GOTTINGAE  
SVNT. VICT. BOSSIGER. MDCCCLV.





SPECIMEN II.  
OBSERVATIONVM  
IVRIS NATVRALIS.

---

DE  
OBLIGATIONE ET IMPVTATIONE.

---

I. DE OBLIGATIONE.

§. I.

**O**BLIGATIO est motiui cum actione libera connexio. Obligare in sensu generalissimo est determinare aliquem ad actionem liberam committendam vel omittendam. Huius finis obtinendi remedium, naturae humanae consentaneum, in eo positum est, vt cum eiusmodi actione connectatur consecutarium aliquod bonum vel malum. Quapropter obligare nihil aliud est nisi connectere cum actione libera bonum vel malum consecutarium. Hoc consecutarium vt determinare

A 2

minare



minare agentem possit, requiritur, vt ei sit cognitum, vt eius boni vel mali notionem habeat, vt sit *motiuum*. Hinc OBLIGATIONEM definire licet connexionem motiui cum actione libera.

### §. II.

Omne motiuum necessitat voluntatem ad agendum vel non agendum, sed ita vt haec necessitatio non tollat seu non excludat arbitrium, ideoque efficiat quidem necessitatem, sed moralem dumtaxat. *Obligare* <sup>a)</sup> igitur idem denotat atque *moraliter* aliquem *necessitare*.

*Obligatio* respectu obligantis dicitur *actiua*, respectu obligati *passiua*. Actiua igitur est *necessitatio* agendi vel non agendi moralis: *passiua*; *necessitas* <sup>b)</sup>.

a) *Obligare* a *ligare* deriuatur, qui terminus in *sensu proprio* inuoluit corpus aliquod, cuius actio physice impeditur, et quod necessitate quadam physica adstringitur. In philosophia practica illud *metaphorice* adhibetur, dum de anima humana, de ente incorporali praedicatur. Ad quam differentiam significandam obligatio nostra etiam vocatur *obligatio moralis*.

b) In eo hodie conspirant philosophi omnes, obligationem moralem in sensu passiuo denotare *necessitatem* agendi vel non agendi *moralem*. Sed, vtrum omnis connexio *motiui* cum actione libera talem obligationem passiuam seu necessitatem eiusmodi moralem efficiat, illud adfirmare plures haesitant. Verum salua perstare definitio haec obligationis posse videtur, sicubi 1) ex discrimine *veri motiui* a *spurio* etiam *obligationem veram* a *spuria* seiungas, et 2) obligationem *iuris* ab obligatione *moralis*, hoc est speciem a genere distinguas.

Inter aduersarios huius definitionis Wolfanae eminet B. GOTTLIEB SAMVEL TREVER, qui, ne illi subscribat, sequen-



sequentes obstare rationes sibi persuadet in *annotationibus* ad *Pufendorff. de Officio hominis et ciuis*, pag. 53.

1) „Excluditur idea *Dei* ab omni obligationis fundamento, et proinde superfedere possumus in moralibus Deo atque idea legis, et ad normam agendi nos obligantem sufficiet argumentum solum *utilitatis*, quod actioni vel non-actioni inesse deprehendimus. Atheismus omnis hanc ipsam hypothese[m] toti ethicae doctrinae substernit, quod in *diff. de Systemate morali Aetheorum* fusius commonstrauimus. Obuiam quidem ire voluit sagacissimus *Wolffius* atheismo, dum omnino bonum et malum, quod rationes mouentes ingreditur, a *natura* proficisci docet, et ab ea nos exinde obligari colligit: nihilominus tamen ab idea essentiali obligationis remouetur idea *Dei*, quae ab ea abesse nec potest, est nec debet”.

Resp. Distinguendum est inter obligationem in genere, et obligationem *Iuris* Naturalis diuini atque humani.

2) „Insignem ea sententia inuehit *confusionem* in forum morale, et officia quaeuis in pristinum chaos recidunt. Quum enim vbiuis rationes mouentes in promptu sint, mentique obuenant, distinguere nullo modo possumus, quae actionum physicarum, quae moralium sit genuina discrepantia; quae officia perfectae sint obligationis, quae imperfectae; quidve postulari queat ab altero, quid precibus impetrari; quid prudentiae sit officium, quid humanitatis, iustitiae etc.

Resp. Diuersae officiorum species ex diuersis obligationis speciebus enascuntur: officium in genere ex obligatione in genere concipitur. Quod in definitione obligationis in genere, officia diuersa non distinguantur, sed omnia sine vilo discrimine comprehendantur; illud definitionis tantum abest ut sit vitium, ut potius sit virtus et requisitum necessarium.

3) „Quum etiam nulla actio, quaecumque fuerit, rationibus determinantibus destituatur, ne quidem illae, quae



„dicuntur *indifferentes*, e. c. vt dextrum pedem prius moue-  
 „am, quam finistrum; quod Leibnizius et Wolfius conce-  
 „dunt: omnes actiones exinde inuoluent obligationem. Nul-  
 „la ergo erit indifferens: id quod experientiae omni et ra-  
 „tioni contrariatur.

Rf. Distingue primo *obligationem maiorem* a *minori*: quo *ma-  
 ius* vel *minus* cum actione libera connexum deprehenditur  
*bonum malumue*, eo vel *maior* vel *minor* ad eam committen-  
 dam aut omittendam datur *obligatio*. Consecrarium gradu  
 minimum efficiet infimum obligationis gradum.

Distingue porro actionem *absolute indifferentem* ab actione *re-  
 spectiue* tali, quae quoad *cognitionem nostram*, vel quoad  
 determinatam *obligationum speciem* seu determinatum forum  
 morale est indifferens. Licet si igitur largiamur, non dari actio-  
 nem liberam, quae absolute sit indifferens: illud tamen omni-  
 no contendimus, reperiri plures actiones eiusmodi, quae  
 quoad entis finiti limitatam cognitionem; et multo adhuc  
 plures, quae quoad forum externum sunt indifferentes.

4) „Quiuis sibi met ipsi rationes agendi vel non agendi re-  
 „praesentare potest: quiuis itaque *se ipsum poterit obligare*:  
 „quod tamen absonum est, quum quiuis suae voluntati et  
 „determinationi liberae nuntium mittere queat, adeoque il-  
 „lud ipsum, quod *obligatorium* est, simul foret *non-obligato-  
 rium*. Quid? quod hoc pacto *Deus* ab aeterno *sibi* erit  
 „*obligatus*, qui nihil unquam agit sine ratione optima, quam  
 „sapientia infinita suppeditat. Percipimus quidem in Deo  
 „necessitatem agendi moralem, qualis sapientiam infinitam  
 „debet; non tamen omnis agendi necessitas obligationis no-  
 „mine compelli potest, licet omnis obligatio necessitatem  
 „moralem includat: multa enim necessaria sunt, necessitate  
 „finis, non necessitate obligationis.

Rf. Rursus distinctio inter *obligationem in genere* et obliga-  
 tionem *iuris* nodum hunc soluet. Quatenus homo sibi ipsi a-  
 ctionis



tionis suae liberae constituere confectarium potest, eatenus et sibi ipsi obligationem imponere valet. Ad *obligationem perfectam* requiruntur *duae personae*; altera quae obligat, altera quae obligatur: ad *obligationem in genere* sufficit actio libera, confectarium qua motiuum, et *unica persona*, ens arbitrio libero pollens. Potest aliquid esse obligatorium (in genere) et simul non (perfecte) obligatorium. In *Deo* percipimus necessitatem quamdam moralem: idem cum Treuero sentimus. Deus contra sibi ipsi ab aeterno est (perfecte) obligatus: idem cum Treuero negamus.

5) „Confundi hic videtur *persuasio* cum *obligatione*: *vis* „moniti vel *consilii*, et *vis legis* vel obligationis: quicumque enim ius habet, argumentis suis nos inclinandi in unam, vel alteram partem, non statim gaudet iure nos obligandi: „quod ius perfectum dirigendi nostras actiones inuoluit, „*Oratores* quum sacri tum profani suis rationibus persuadendi vim exferunt; non obligandi potestatem sibi arrogant. „Obligatio quidem omnis coniuncta est cum rationibus morventibus, et ea est diuini numinis benignitas, vt ad nullas alias actiones humanum genus obligari velit, quam quae felicitatis sunt adminicula: sed non omne id, quod rationes „animum commouentes adhibet, obligandi vim secum habet coniunctam: impune enim multas rationes adspernari nonnumquam licet. Quod si dixeris, voci obligandi *aliam ideam* per philosophandi libertatem esse adiectam; notes velim in re tanti momenti, quae totius moralis obligationis indolem peruertit, cautius philosophandum, nec talis modi ideam vocabulo esse subiiciendam, quae *naturam rei*, quam significat, penitus *immutat*.

Rf. Orator motiua non *constituit*; sed *exponit*: ergo nec obligat ipse, sed obligationem explicat dumtaxat. Ceterum ab eo procul aliena est nostra obligationis definitio, vt *naturam* obligationis immutet: quum firmissimo steterit talo, in omni obligatione, quae demum cumque fit, tamquam vltimum,



mum, quod in resolutione conceptuum attingi potest, deprehendi *motuum* aliquod et argumentum impellens, cur hoc vel illud faciendum sit aut omittendum: id quod contra *Barbeyracium*, tantum quantum satis est, commonstrat *VATTEL* in libello: *Loisir philosophique*.

### §. III.

MORALITER IMPOSSIBILE dicitur id, quod contradicit obligationi, seu quidquid agere vel non agere aduersatur obligationi: MORALITER POSSIBILE; quod minus aduersatur.

Non nisi ad id obligamur, quod obligationi convenit: consequenter ad id, quod ei contradicit, quod est moraliter impossibile, non obligamur.

1) Ultra posse (*physice et moraliter*) nemo obligatur.

2) Non obligamur, nisi *quantum* possumus *physice et moraliter*.

### §. IV.

Qui obligatur ad *finem*, obligatur etiam ad *remedia* adhibenda, ad remouenda *impedimenta*: sed eatenus dumtaxat,

1) quatenus haec cum *fine vere* sunt connexa,

2) quatenus remedia adhiberi, impedimenta remoueri *possunt* et *physice et moraliter* (§. III.).

Pone ad eundem finem conducere plura remedia aequae possibilia A. B. C. Quo finis obtineatur, necesse quidem est, ut vnum ex his compossibilibus adhibeatur: haud vero est necessarium, ut non nisi A. adhibeatur. Vnde consequitur, ut hoc casu remedium A. non sit vere seu inseparabiliter cum fine cohaerens, ita scilicet ut impossibilis sit obtentio finis, nisi adhibeatur

tur



tur remedium A. Obligamur alimentis vti ad vitam conferuandam, non vero necessitamur moraliter, carne vesci suina eo casu, vbi alia esculenta aeque profant.

## II. DE IMPVTATIONE.

### §. I.

**P**one 1) factum liberum Caii,  
 2) ex hoc facto oriri confectarium,  
 3) Caium praecuidere potuisse hoc facti sui confectarium.

Hoc casu ratiocinari possum: Caius est causa libera facti huius, ergo idem est causa libera confectarii eiusdem. Dum ita iudicamus, dicimus, nos Caio *imputare* aliquid.

IMPVTARE igitur idem est atque tribuere factum aliquod eiusque confectarium alicuius arbitrio: et IMPVTATIO est iudicium, quo affirmo, aliquem esse causam liberam facti alicuius, et propterea etiam esse causam liberam confectarii eiusdem.

### §. II.

Eum, cuius arbitrio tribui potest confectarium facti sui, dicimus hoc confectarium MERERI: atque inde ipsum confectarium facti alicuius liberi, quatenus rationem suam sitam habet in arbitrio facientis, appellamus MERITVM facti liberi *in genere*.

Quum confectarium esse possit bonum vel malum: MERITVM quoque duplicis est generis, aliud BONVM, quod  
 B  
 appel-



appellatur *MERITVM* in specie seu *PRAEMIVM*; aliud *MALVM*, quod vocatur *DEMERITVM* seu *POENA*.

*Imputatio* itaque est iudicium, quo alicni tribuitur factum liberum eiusque meritum, et datur *imputatio in praemium*, datur *in poenam*.

### §. III.

Omne consecrarium facti liberi, quod faciens praevidere potest, efficit obligationem, continet legem. Ergo omnis imputatio inuoluit

- 1) factum liberum,
- 2) legem, cui illud factum subest.

Ergo imputatio est conclusio ex facto libero et lege.

I. Pone ex. gr. Caio imputari, ob homicidium ab ipso perpetratum, poenam ultimi supplicii; haec imputatio formatur ex praemissis:

1) *Caius est homicida*,  
 quae propositio continet eius *factum liberum*.

2) *Homicida gladio est puniendus*,  
 quae propositio continet *legem*. Atque inde colligitur:

*Ergo Caius gladio est puniendus*.

Lex hoc casu est propositio maior: factum liberum Caii est propositio minor. Itaque imputatio est *conclusio* ex lege et facto, consequenter *applicatio legis ad factum*, et continet ratiocinium.

### §. IV.

*IMPVTABILE* igitur est *FACTVM*, quod alicui tribui tamquam auctori, seu tamquam eius factum *liberum*,



*rum*, et simul sub lege subsumi potest: et IMPVTABILITAS est ea facti adfectio, quatenus alicui est impu-  
tabile.

## §. V.

De *imputatione in poenam* quaedam sigillatim an-  
notabimus. Pone FACTVM MORALE. Illud vel le-  
gi contrariatur; vel conuenit: posteriori casu di-  
citur RECTVM; priori MINVS RECTVM. Ergo in  
omni facto minus recto adest rectitudinis defectus.

## §. VI.

Pone impossibile esse (*physice* vel *moraliter*), vt  
factum fiat rectum: non obligamur euitare defectum  
rectitudinis facti nostri.

Defectus itaque rectitudinis facti, quatenus continet  
impossibilitatem (*physicam* vel *moralem*), non est impu-  
tabilis.

Defectus rectitudinis facti, quem euitare (*physice*  
vel *moraliter*) non possum; vocatur INVINCIBILIS  
VNO verbo FACTVM INCVLPATVM seu INCVLPA-  
BILE: quem possum; VINCIBILIS et VNO verbo  
REATVS seu CVLPA *in genere* <sup>a</sup>).

Prior imputabilis non est: consequenter non nisi po-  
sterior imputari potest.

I. Distingue id, quod est *materialiter* contra leges, ab eo,  
quod est *formaliter* contra leges. Omne factum minus re-  
ctum est materialiter contra leges: sed non omne factum mi-  
nus



minus rectum est formaliter contra leges. Defectus rectitudinis facti inuincibilis contrariatur legibus materialiter; vincibilis formaliter. Ex eodem fundamento factum minus rectum discernendum etiam est a facto *malo* seu *prauo*.

a) Hoc *latiori* significato vocabulo *culpa*e utitur CICE-  
RO III. *Tusc.* c. 16. ubi adferit: "Malum (*factum* seu de-  
„*meritum*) nullum esse, nisi culpam; culpam autem nullam  
„esse, cum id, quod ab homine non potuerit praestari, e-  
„venerit.

### §. VII.

Ergo 1) ut factum aliquod minus rectum sit imputabile in poenam; requiritur, ut contineat *reatum*.

2) Nihil in poenam est imputabile, nisi cuius contrarium facere et *debit* et *potuit* agens.

3) *Quatenus* et in *quantum* contrarium quis facere debuit et potuit: eatenus et in tantum factum eius minus rectum ipsi in poenam imputari potest.

### §. VIII.

Reatus cum proposito violandi legem coniunctus vocatur *DOLUS* seu *MALITIA*; qui minus coniunctus; *CULPA* in *specie*.

I. *Propositum* seu *decretum* philosophis appellatur *plena* suae *efficax* *volitio* *volitione*. Dolus itaque inuoluit finem et intentionem leges violandi, actio dolosa suscipitur *praelucente intellectu*, *deliberato animo*, *praeuia consultatione*, *praemeditato et destinato consilio*, et quae sunt reliquae *ICTorum* *phrases*, quarum significationes ex *psychologia* arcessuntur.

II. Ex



II. Ex eadem scientia etiam facile intelligitur, *dolum* continere reatum eiusmodi, cuius ratio sita est *in voluntate*: et contra *culpam*, cuius causa in *intellectu* potissimum apprehenditur. Wolff. in Instit. Iur. Nat. et Gent. §. 17.

## §. IX.

Imputatio *sine lege* cogitari nequit. Ergo PUFENDORFFII<sup>a)</sup> sententia est reiicienda, qui adfirmat, *imputare* idem esse atque habere aliquem pro *actionis humanae auctore*, atque inde *axiomatis primarii* loco in disciplinis moralibus ponit, quod *quaelibet actio directionis humanae capax, quam penes aliquem est fieri vel non fieri*, ipsi queat imputari. Ex eodem fundamento nec nostram amplius facimus diuisionem imputationis in *imputationem facti et legis, plenam et minus plenam*: quippe negamus adesse imputationem, ubi solum factum tribui potest; consecrarium vero tribui, seu lex simul adplicari non potest.

a) PUFENDORFF. de Off. Hom. et Ciuis cap. I. §. 17. quem sequuntur plures alii, inter quos Titius ad hunc locum ita ratiocinatur: "quod si, *inquit*, "amplius istes, cur actio voluntaria (*factum liberum*) imputetur; tum nulla ulterius ratio reddi potest, sed illa veritas *indemonstrabilis* est, et immediata perceptione apprehenditur." A partibus nostris e contrario est TREVERVS, qui hanc Pufendorffii et Titii sententiam in *adnotat. ad h. l. Pufend.* ita impugnat: "quod imputetur actio voluntaria, *ratio* est, quia agens tenebatur obligatione, ea agere in isto negotio vel non agere, quae penes ipsum erat, ut fierent vel non fierent: si quidem imputare est aliquem rationis poscere ob actionem paratam, vel illum iudicare causam esse, ad quam applicentur *effectus morales*. Quomodo autem quis poterit rationis



„posci ab alio, vel effectus morales mereri in re, ad quam  
 „praestandam vel omittendam *nulla obligatione* ferebatur?  
 „Obligatio itaque ad agendum vel non agendum comitari  
 „debet voluntariam actionem, vt actu imputetur. *Sine ea*  
 „*obligatione actio quidem voluntaria capax est imputationis;*  
 „*actu tamen nullos effectus morales sortitur, siue non im-*  
 „*putatur.*

Vt aliquid homini imputetur, requiritur omnino, vt is pro auctore facti sui haberi possit: sed hoc solum non sufficit, quin potius praeterea requiritur adhuc, vt adsit meritum huius facti, seu vt ad legem applicari possit, e. g. vt poena, quae est species imputationis, infligatur Caio, non tantum opus est, vt facti cuiusdam, cuius accusatur, auctor sit; sed simul vt hoc factum legi aduersetur. Si factum Caii *legi non repugnat, nec imputari potest.* Philosophi ad vnum omnes in eo conspirant, reperiri in imputatione *effectum* quemdam *moralem* actionum nostrarum. (Hinc PUFENDORFFVS ipse definitioni suae: actiones humanae homini possunt *imputari*, hoc est *quod homo pro earum auctore recte possit haberi*, immediate subnectit: *ac ad reddendam de iisdem rationem adstringi, quodque in ipsum redundant effectus, qui ex istis proueniunt*: licet in seqq. huius characteris essentialis obliuiscatur.) Quatenus talem effectum non continet idea imputationis, eatenus in philosophia morali huius termini nullus est vsus, et nouus esset effingendus, qui effectum hunc *moralem* exprimat. Si imputatio eo vnico actu absoluitur, quo aliquem auctorem alicuius liberi facti iudicamus; imputatio concipi potest sine vlllo effectu morali. Si contra imputatio in eo consistit, vt meritum facti tribuatur auctori suo, vt lex applicetur: tum sane *effectum* morali non destituitur.

Ex imputatione efformandus conceptus *imputabilitatis*.  
 Vt aliquid sit *imputabile*, non sufficit, vt factum aliquod a  
 licui



licui tamquam eius auctori tribui; sed simul, vt illud sub lege subsumi possit. Quod et a contrario euidenter elucet. Pone aliquod factum liberum legi non subesse, merito careri; poni debes, hoc factum carere effectu morali, imputari non posse, esse non imputabile, hoc est esse impossibile, vt actu imputetur. Quodsi affirmas, imputabile esse, quidquid alicui tamquam auctori tribui potest; imputabilitas nihil continet nisi nudam et *absolutam* imputationis *possibilitatem*, quae *respectiue* in infinitis casibus omni effectu morali destituitur, consequenter nomine imputabilitatis insigniri nequit. In *sensu metaphysico* itaque definitionem hanc concedere possumus; in *sensu* autem *physico*, aut, si mauis, *practico*, eam negamus, ex. c. Vt homo actu moriatur, necesse est, vt prius vixerit. Si inde concludo, ergo impossibile est vt moriatur, nisi ante vixerit, seu ergo homo *non est* MORTALIS, *nisi qui viuit*: haec thesis vera est in *sensu physico*. Ceterum in *sensu metaphysico* omnis homo, siue viuat siue minus, mortalitatis est, eo scilicet significato, quia in *idea abstracta* hominis nihil continetur, quod conceptui mortalitatis contradicat. Similis est ratio theseos: nihil est *imputabile*, nisi id quod *sub lege* potest *subsumi*.

## §. X.

Sed et legem sequitur imputabilitas, seu *lex sine imputabilitate* concipi nequit, simul atque factum, legi obnoxium, existens seu perpetratum ab ente legis capaci cogitatur. Tolle enim hoc casu imputabilitatem: tolleretur legis visobligandi, poneretur lex, quae lex non esset.

Itaque ex *vi legis obligandi* deriuatur *vis* eiusdem *imputandi*: altera cum altera arcto iuncta vinculo: atamen altera ab altera distincta. Quare *duplex* optimo iure legi cuique assignari potest *virtus*, 1) *obligatoria*,  
2) *im-*



2) *imputatoria*. Illa in lege cogitur *absolute*, simul atque lex ponitur, consequenter ante quam existat actio, quam lex vel iubet vel vetat: haec *hypothetice* tantum, scilicet posita simul illius actionis existentia, cuius vel commissionem vel omissionem lex poscit. Illa sese exerit praecipiendo vel prohibendo: haec puniendo vel remunerando <sup>a)</sup>.

a) GUNDLING. in *Iur. Nat. et Gent.* cap. I. §. 43. fequentes legi tribuit virtutes: *suadere, hortari, praecipere, vetare, punire*: et quidem *suadere* et *hortari*, quatenus lex (naturae) sapientissima aequae est ac iustissima. Sed has quidem virtutes omnes in lege non agnoscimus: quum *suadere* et *hortari* sit res *consilii*, et eius, qui explicat obligationem; non vero *legis* et eius, qui ipse obligat. Ceterum *praecipere* et *vetare* pertinet ad legis vim obligandi: *punire* (quod a Gundlingio cum exclusione *praemii* stabilicitur, quia ipsi de *lege perfecta* est sermo) ad legis virtutem imputatoriam.





Fc 2211










GOTTFRIEDI ACHENWALLI  
PROF. PHIL, ORD. ET IVR. EXTRAORD.  
IN ACAD. GEORGIA AVGVSTA  
OBSERVATIONES  
IVRIS NATVRALIS

SPECIMEN II.  
DE  
OBLIGATIONE ET IMPVTATIONE.



GOTTINGAE  
SVMT. VICT. BOSSIEGEL. MDCCLIV.

